



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 54. De depositione de Cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO LIV.

DE DEPOSITIONE CHRISTI
de Cruce,

PUNCTVM I.



VM a serò factum esset, venit a *Matt. 27.*
quidam homo diues ab Arima- 57.
thea nomine Ioseph, qui & ipse
discipulus erat IESV, h occultus
tamen, propter metum Iu- b *Ioan. 19.*
deorum; & c audacter introiit ad Pilatum, & 38.
petijt corpus IESV; qui, cum cognouisset, quòd c *Marc. 15.*
iam mortuus esset, a iussit reddi corpus. 43.
Luc. 23. 50.

CONSIDERANDA hic primùm est pro-
uidentia & cura, quam Deus habet suorù, si-
ne dum viuunt, sine cum sunt vitâ functi. Pè-
debat corpus Christi Dñi nostri in cruce in
magnum dedecus & infamiam notorù & a-
micorù eius; & piæ aliquæ mulieres, à longè
stabant, & à cruce remotæ, propter metum
Iudæorum. Sanctissima eius Mater, & Disci-
pulus S. Ioannes, cù Maria Magdalena, iuxta
cruce stabant, sed lachrymosi valde & affli-
cti ob ipsius mortè, anxij verò, quòd non sci-
rent, qua ratione possent illum de cruce de-
ponere, ea decentia, qua pretiosù adeo cor-
pus dignù erat; simul verò timebāt, si milites

illum

I.

illum deponeret, magna id irreuerentia & ignominia facturos: sed in hac anxietate & sollicitudine constitutis, non defuit diuina prouidentia, nam & Filij defuncti honori, & afflictæ Matri consulens, aliquem prouiderit, qui summa reuerentia & honore, corpus illud deponeret. Proprium est enim valdeque familiare Coelesti nostro Patri, consolari afflictos, & humiliatos honorare: & ita statuit, sicut ignominia filij eius perdurarunt usque ad ipsam mortem in cruce; sic ab eadem cruce incipere eius honores. ut hinc animam sumamus, ad amplectendas humilia- tiones, siquidem tam cito Deus humiliatis subueniens illos exaltat.

II.

DEINDE perpendam, inspirasse Deum viro cuidam nomine Ioseph, ut hanc sibi curam & pium officium susciperet; de quo dicitur, quod esset *diues & nobilis*; talem enim oportebat esse, qui illud exequi posset: sed simul erat *vir bonus & iustus, & expectans re-* *enum Dei*: quia noluit Deus tale obsequium, sibi exhibere impium aliquem hominē, improbum aut parua charitatis: nec nobilitatis aut diuitiarum eius rationē aliquam habuisset, nisi illis qualitatibus bonitatem etiā & iustitiam coniunxisset. Hic etsi esset discipulus Christi Domini occultus, & propter metum Iudæorum timidus, nunc tamen magno animo sese manifestauit, & ausus est ad Pilatū ingredi *audaciter*, & sui Magistri corpus petere ad sepeliendum. In quo facto re-

Luc. 23. 50

splendet

splendet virtus Passionis Christi; & inspirationis Diuinæ efficacitas, quæ timiditatem & pusillanimitatem omnem repellens, aggredi facit ardua ac difficilia, quæ prius timebat; & magnum animum concipere ad ea, quæ prius horrebat. O IESU mansuetissime, tange cor meum vi tuæ inspirationis, vt humano omni timore reiecto, inuicto pectore aggrediar, quidquid Diuini tui obsequij fuerit.

TERTIO perpendam humilitatem & obedientiam; quam etiam post mortem, voluit Christus Dominus nobis offendere, dum voluit etiam secum seruari leges malefactorum, qui essent crucifixi: nam tales, non licebat ex cruce deponere, absq; iudicis licentia; quam voluit etiam ab eo peti, vt ipse à cruce deponeretur: Nam vt crucem cõscendit ex obedientia Patris Cœlestis, ita post mortem, ex eadē voluit descendere, ex obedientia legis, quæ id præscribebat, & Præsidis, qui rogatus, id concessit: vt ex hoc ego discam, non descendere de cruce, in qua Deus me constituit, absque eiusdem licentia.

PUNCTVM II.

OBTEENTA à Pilato licentia, Ioseph mer-
caus sudorem & deponens eum in uoluit
sudone: b venit autem & Nicodemus ferens
in xthuram myrrhe & aloes quasi libras cen-
tum, vt ungerent eum.

a Marc. 15.

46.

Mat. 27. 59.

b Ioa. 19. 39.

PERPENDENDA hîc est diuina cura &

pro-

prouidentia, quæ socium Iosepho adiunxit, qui illum in pio hoc opere adiuuaret, qui par etiam illi esset: nam & *enobis & in suis, & discipulis erat IESVS*, licet occultus: scit enim Deus quantum referat, duos pios simul conuenire, ad præstanda opera charitatis; nam alter alterum exemplo bono animat & corroborat: Iosephus, accedente socio Nicodemo, omnem à se humanum timorem abiecit: idemq; Nicodemus fecit propter Iosephum socium: ambo itaque magna animi fortitudine pium illud opus sunt aggressi: nam ut Sapiens ait: *d Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et sicut Christus Dominus noster, dum uiueret, discipulos suos mittebat binos; ita nunc in morte, duos discipulos eligit, qui ipsum de cruce deponant, uolens, omnia sua opera fieri cum charitate. Sed ut uterque horum duorum aliquid attulit ad sepulturam Christi, (nam Iosephus meratus est sindonem omnino nouam, iudicans, non decere, tali sindone corpus illud Magistri sui inuolui, qua fuisset alius quispiam usus: Et Nicodemus attulit magnam pretiosi unguenti quantitatem, quo corpus totum ungeretur:) sic etiam, qui cor suum offert obsequio Christi, semper cum uoluntate adhibet opera, quæ iuxta uires suas potest; conando, ut munda illa sint ac pura, pretiosa, ac multa, adhibens magnam mortificationem ac deuotionem: ita ut nec quia pretiosa sunt, pauca sint; nec quia sunt multa, par-

et Ioan. 3.1.

d Pro. 18:19

ta, par-

ra, parui sint pretij: sed vt omnia coniungamus optimo, quo poterimus, modo. O Saluator dulcissime, quid mirum si talia ego tibi offeram opera, cum tua mihi obtuleris, quae infinite mea superant: Concede mihi, ne parcus sim, in dando tibi quidquid poterero, siquidem quidquid possum dare, satis est parum.

PUNCTVM III.

DVO hi viri valde reuerenter ac pie, magnaque simul compassione & lachrymis, corpus Christi de cruce deposuerunt. Refixerunt sacros pedes ac manus, tenerrime eas osculantes; abstulerunt spineam coronam ex capite, eam reuerenter adorantes; & cum clauos refigerent, sacrum corpus complectebantur: vt, quem prius clauis sustentabant; suis ipsi humeris sustinerent, cuius diuina persona solo verbo Coelum & terram, & quidquid in eis continetur, sustentat.

O Fili DEI viui, vnite mortuo corpori, in ea necessitate constituto, vt opus habeat ab ipsis tuis creaturis sustentari: Gratiastibi pro hac humilitate, quam hic ostendis plenam tanta charitate. *O a fortis sicut mors dilectio, & dura sicut infernus, siue sepulchrum, emulatio & zelus!* Quomodo inuincibilem superasti, morti eum subiecisti, & vt se in sepulchro finat poni compulisti? vince & me, vt meo

a Can. 5.8

vt meo Domino commoriar. illi enim commori lucrum meum est, & per te vinci, est victoriam obtinere.

II.

DEPOSITVM ex cruce corpus accepit Virgo sanctissima in suis vlnis, quibus & illud complexa est; sed multò magis animæ vlnis, quæ tota erat dolore transfixa: vbi illud impletum est, quod in Canticis dicitur: b

b Cant. 1.13

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. O suprema Virgo, quantum interest inter hos amplexus, & illos quibus in specu Bethlehemitica, & cum fugeres cum eo in Aegyptum, illum cõplectebaris. Tunc enim fasciculus erat myrrhæ, inftar monilis cuiusdam, ex tuis sacris vberibus pendens; sed nunc fascis est magnus myrrhæ amarissimæ, vt possis dicere lamentationem

c Thre. 3.15.

illam Ieremiæ: *crepleu t me amaritudinibus, inebriauit me absinthio;* nam verè fuit repleta amaritudine, cū tui Filij corpus, ex cruce depositū, in tuas vlnas suscepisti. Aspiciēti mæstissima hæc Virgo rotū filij sui corpus, in singulis membris cruciatum, & inde myrrhā colligebat, ex qua fascē hunc amarissimum componeret. Contemplabatur ossa luxata, osculabatur manū vlnera, contractos digitos extendebat; mox ad lateris & pedum vlnera descendens, manebat eius spiritus, visis tot vulneribus vulneratus, & tot amaritudinibus inebriatus! Accesserit quoq; Magdalena pedes illos cõplectēs apud quos suorū peccatorū veniā impetrauerat: quos vbi

vidit

vidit vulneratos adeò, & crudeliter habitos, mansit eius cor dolore transfixum, & oculi conuersi sunt in fontes lachrymarum, quibus eos cœpit rigare, optans, si licuisset, capillis suis eos tergere, sicut alias fecerat: dilectus verò Discipulus, rectà accessit statim ad pectus, in quo proxima nocte recubuerat; quod, vbi à latere vidit lancea apertum, sacrum illud vulnus osculabatur; & oculorum suorum lacrymis rigabat, cupiens etiam ingredi, vt somnum alium cōtemplationis dormiret, proximo profundior. O felices animas, quibus datum est tangere & complecti sacratissimum illud corpus: Fac mihi, Domine, potestatem, vt spiritu ego illud complectar, me ipsum in tuum amorem transformando. Ex nunc eris mihi *fasciculus myrrha, qui inter vbera mea commoretur*, quem & oculis meis aspiciam, & omnibus mei cordis affectibus diligam.

MEDITATIO LV.

DE CHRISTI DOMINI
funere.

PUNCTVM. I.



VM Virgo sacratissima, aliquantulum in gremio suo Filij sui corpus habuisset, tradidit illud Iosepho & Nicodemò, vt pietatis illud officium